



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 15. Concilium Generale convocatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.  
A.C. 1212.

inventa evadendi via, iter suum profecti sunt. Eorum exemplo excitati juvenes & feminae, accepta Cruce, proficiscentibus se junxerunt. Verum etiam viri improbi, pueris perfide mixti, annuam pecuniamve, quam iis Christianorum pietas largiebatur, furati, clam deinde recesserunt. Latrunculorum istorum aliquis, Coloniae deprehensus, furcæ affixus est. Miselli autem parvuli, in silvas & deserta sparsi, haud pauci æstu, fame, siti perierunt. Alios, ubi superatis alpebus in Italiam penetrarunt, Longobardi rebus omnibus spoliatos, a finibus suis abegerunt. Redibant ergo pudore confusi, & quærentibus, cur ex patria abiissent, respondebant, id se nescire. Quibus ad Papam delatis, altum ducens suspirium dixit: *Infantes ad auxilium Terræ sanctæ properantes segnitiam nostram nobis exprobrant.*

§. XV.

*Concilium Generale convocatur.*

16. ep. 30.  
fo. 11. Conc.  
p. 123.

Ut igitur Innocentius Palæstinæ pararet auxilia, id enim inter tria negotia, quæ perficienda sibi constituerat, præcipuum erat, Concilium universale convocavit, promulgata Bulla, die decima nona Aprilis, anno millesimo ducentesimo decimo tertio, in qua dicit: *Testis est nobis Deus, nihil adeo super terram*



terram nobis in votis esse, quam Terram sanctam vindicari, & universalem reformari Ecclesiam. Quare postquam cum Fratribus nostris, aliisque viris sapientibus, mature deliberavimus, statuimus, pro more antiquo Patrum nostrorum Concilium Universale convocare, in quo de omnibus, ut videbitur, decernatur, quæ ad correctionem morum, extirpationem Hæresum, Fidei confirmationem, ad invehendam concordiam & pacem, ad permovendos Principum populorumque animos, & præsidia Palestina præstanda spectant. Quia vero hujusmodi Concilium ante biennium comode congregari non posset, visum est, interea in quamlibet provinciam viros prudentes mittere, qui nos abusus doceant, quos tolli oportet, & viros eligere idoneos, qui auxilia in Terram sanctam accelerent. Itaque districte vobis præcipimus: intra annos duos & medium, nempe ab hoc anno millesimo ducentesimo decimo tertio usque ad diem primam Novembris, ad Curiam nostram venite. Duo tamen tresve Episcopi Suffraganei vestri in vestra provincia remaneant, qui officia Religionis peragent. Ipsi vero, aliique, qui profectionem ad nos suscipere non potuerint, nuncios congruis mandatis instructos mittant. Vos vero præscriptas in Concilio Lateranensi.

sæcul. XIII.  
 A.C. 1213.

42431



Sæcul. XIII. *nensi modestiæ leges servate, paucis con-*  
A. C. 1213. *tenti estote, ampla proficiscentibus non*  
*fit familia, non enim hic captandæ sunt*  
*hominum laudes, sed eorum salus qua-*  
*renda. Omnia Capitula tam Cathedra-*  
*lium quam aliarum Ecclesiarum Lega-*  
*tos ad Concilium mittant, quia de rebus*  
*agendum est, quæ ad ipsos spectatim*  
*pertinent. Interea & propria vestra*  
*industria & opera aliorum inquirent*  
*in omnia, quæ remedio indigent, &*  
*præparatos Commentarios ad Synodum*  
*afferte.*

Hæc Bulla ad totum orbem Chri-  
 stianum missa est. Ad Archiepiscopos  
 cujuscunque Provinciæ Ecclesiasticæ,  
 quin etiam ad Catholicum Armeniæ,  
 & Archiepiscopum Maronitarum, tum  
 ad Henricum Imperatorem Constanti-  
 nopolitanum, ad Regem Franciæ, Reges  
 Hispaniæ, omnes Reges Christianam Re-  
 ligionem profitentes directæ, cunctos  
 incitabat; Legatos cum mandatis ad  
 Concilium mitterent. Tandem etiam  
 ad Templarios & Hospitalarios, ad Ab-  
 batem & Ordinem Cisterciensem ac Pra-  
 monstratensem data.

§. XVI.

*Literæ Pontificis ad Patriarcham*  
*Alexandrinum.*

16. ep. 34. *Scriptit quoque Innocentius Papa Pa-*  
 triarcham